



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1869

Synopsis Tomi Septimi De Actis Sanctorum Octobris

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70595)

A confectus, parochiæ procuracionem demittere coactus fuit. Unus fuit Goorius ex Hagiographis, qui monasterium suum phœnicis instare cineribus renascens vidit, et pro patribus natos filios conspexit: quibus ut lætissimum incrementum det Deus Optimus Maximus, ex corde apprecamur. Piissimus erat Goorius, vir simplex et rectus, qui cum jam labore multorum annorum fessus, quod ageret, non haberet, dies integros precibus, præsertim terendis Rosarii globulis, dicabat. Obiit die xxv Julii 1839, annos natus LXXIX, menses VII, dies X.

Epilogus.

156 Hæc præfari opportunum et necessarium duximus, tum ut aliquam rationem de indole Operis nostri redderemus, tum ut debitas laudes iis rependeremus viris, qui in eadem palestra nos præcesserunt. Quantum vero ad hunc tomum, quem primum post redintegratum Bollandianum institutum edimus, pertinet, certe nobis nimium blandiremur et lectori videremur fucum facere, si illum

ab omni errore immunem haberemus; et eo quidem maxime, quod plerumque de rebus ab ætate nostra remotissimis et magnam adhuc partem in certis disseruerimus. Quod igitur in his lucubracionibus repererit lector aut a veritate alienum aut minus pro rei dignitate limatum, de eo nos sincere et humaniter admonere non dedignetur, quo diligentius in posterum ab hujusmodi erratis nobis cavere valeamus. Illud secum etiam reputet nihil simul inchoatum et perfectum esse; et non solum consilia posteriora, sed etiam opera magis magisque perfici. Qui proinde reliquas partes accuratius meliusque elaboratas exhiberi sibi optant, eos precamur, ut non tantum nos amice et fideliter doceant, sed ut optimæ erga nos conatusque nostros voluntatis significatione animos addant, et codices ac monumenta, ad rem nostram facientia, publicis vel privatis tabulariis et bibliothecis abditas, prompte nobis liberaliterque communicent.

SYNOPSIS

TOMI SEPTIMI

DE ACTIS SANCTORUM
OCTOBRIS

Tomus hic, totius operis tertius supra quinquagesimum, primusque a restituta societate hagiographica, duos solum dies, quintum et sextum decimum Octobris complectens, Sanctos ac Beatos quinquaginta octo nominatim, cum sanctis Martyribus octingentis nonaginta quinque anonymis recenset. De his, quatuor in classes, quarum tres priores quidem ecclesiastici, monastici et sæcularis status viros, quarta vero eujuscumque conditionis fœminas continet, divisit, hic pauca pro more majorum nostrorum secundum ordinem, quo in subjecto tomo dantur, præmittimus.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Classem hanc aperit cum *Modesto Lupulus*, qui habitu sacerdotali indutus in veteri pictura Capuana exhibetur. Hunc excipit *Eliphius*, qui paulo post medium quartum sæculum martyrium subiit: eodem quoque sæculo floruit *Antiochus*, episcopus Lugdunensis, qui presbyter episcopum suum Justum in *Aegypto* morantem invidit. Sequens sæculum varios nobis episcopos sanctitate insignes exhibet: *Cannatum* et *Antoninum*, ut fertur, Massilienses antistites, de quibus præter cultum, multis monumentis firmatum, vix certi quidpiam statui potest: *Severus*, Trevirensem, qui S. Germano, hæresim Pelagianam in Britannia majore profliganti, comes et adjutor fuit, et, adulto jam quinto sæculo, obiit: *Tammarius*, ex Africa, propter fidem Catholicam exulem, qui Beneventi cursum vitæ absolvit. De *Colmano*, Killruadhensi in Hibernia episcopo, pauca, eaque suis impedita difficultatibus, statuere nobis licuit. Eodem sæculo sexto floruit *Conoganius*, Corisopitensis episcopus in Armorica, cujus Acta, multis fabulis immixta, edidit Albertus Le Grand, accuratius autem Jacobus Malbrancq. S. J. in commentario suo de Morinis. *Tomus VII Octobris, Pars Prior.*

Magnobodus, Andegavensis episcopus, circa annum DCLXX defunctus, binos biographos nactus est, Anonymum coævum, quem edimus, et Marbodum, episcopum Rhedonensem, qui priorem Vitam tersiori et contractiori stylo ferè ad amussim expressit. Anno probabilius DCLXXXIII *Mummolius*, S. Eligii in cathedra Noviomensi et Tornacensi successor, obiit: hujus Sancti Acta, hætenus inedita et Commentario prævio adornata, damus ex veteri MS. codice Noviomensi. Parciora sunt documenta quæ de *Deodato* seu *Theodato*, episcopo Viennæ Allobrogum, nobis occurrunt; unde præter Sancti memoriam et cultum, tempus sedis et obitus, vix aliquid de eo accuratius determinari potest. Magis etiam dubia sunt, quæ de *Sabino*, episcopo Catanæ in Sicilia, traduntur; quoniam, si breve elogium Basiliano Menologio insertum exceperis, tempus episcopatus et obitus conjectura definiendum est. Ad sæculum octavum certo pertinet *Ambrosius*, Cadurcensis episcopus circa annum DCCLXX vita functus, cujus Acta ab auctore subæquali scripta, damus ex antiquo satis codice, collato cum MS. Regiæ Sueciæ. Proximum sibi locum vindicat *Lulus*, Moguntinus archiepiscopus et S. Bonifacii Martyris discipulus ac successor. Obiit Sanctus anno DCCLXXXV, ejusque Acta satis vetusta Commentario prævio illustravimus. Incertæ et contrariæ sunt res gestæ *Rogertii*, episcopi Cannensis in regno Neapolitano, immo nihil invenimus, quo tempus episcopatus ejus propius elucidare potuimus, quam dicendo illum ante sæculum XII floruisse. Gloriosum agmen claudit vir sanctitate insignis, *Bertrandus*, Convenarum episcopus, cujus *Vitæ* coævam, pridem editam, sed ad optimum exemplar collatam, recudimus, præmisso Commentario prævio, in quo variæ quæstiones, ad chronologiam et topographiam spectantes, elucidantur.

6 Ex

A

EX STATU MONASTICO.

De *Malo* seu *Maleo*, quem græca Kalendaria Eremitam, Patrem et Thaumaturgum appellant, pauca supersunt, incertumque est sæculum, quo floruit; sed ipsa documentorum parvas aliquosque monstrat illum ad antiquiora tempora pertinere. In persecutione Vandalica mortem pro fide Catholica appetiere, anno CCCCLVIII aut sequenti, *Martinianus*, *Saturianus* eorumque fratres duo: hi, e servitute elapsi, suadente Maxima Virgine, eorum conserva, in monasterium Tabracense confugerunt; unde vi abrepti plurima tormenta sustinuerunt, ut late describit Victor Vitensis. In Commentario prævio ad Vitam *Juniani*, retractata sunt illa, quæ majores nostri ad diem xxv Junii de *Amando*, Juniani magistro, dixerant: dein utriusque Sancti ab homonymis distinctio late indicata fuit. Similis opera impensa fuit in illustrandis Actis *Leonardi* Corbiniacensis, quem a Lemovicensi oportebat secernere: ejus Vita, ab Anonymo subæquali scripta, non satis dilucide chronotaxin enuntiat. In annum circiter DCXXVII incidit obitus *Galli*, discipuli S. Columbani, licet plerique recentiores tempus emortuale usque ad annum quadagesimum quintum prorogare contendat: in Commentario prævio variæ quæstiones attinguntur, quæ Acta S. Columbani et initia celebris monasterii S. *Galli* illustrant. Vitam S. *Galli* octavo sæculo exaratam e Monumentis Germaniæ historicis Cl. Georgii Henrici Pertz edimus. E. Flodoardi Historia ecclesiæ Remensis, damus Acta *Balderici* Falcomontensis, atque hac occasione puncta quædam ad antiquitates Remenses spectantia examinantur. *Baldericum* in hac classe excipit *Bercharius*, Martyr, fundator monasteriorum in Altovillari et Dervo, cujus Acta ex antiquioribus documentis scriptis sæculo x Adso, Dervensis abbas. Qui sequitur *Vitalis*, in Ratiatensi pago eremita, distinguitur imprimis ab aliis ejusdem nominis Confessoribus, ac dein inquiritur in ejus ætatem, satis dubiam, quæ tamen ante medium sæculum nonum effluxisse videtur, quibus omnibus subnectitur Sancti Vita ex duplici Breviario MS. Trenorchiensi extracta et suppleta ex MS. gallico ecclesiæ S. *Vitalis*. Eodem circiter tempore vixit *Gurdanius* seu *Gurdinellus* Duaci cultus; sunt non pauci eruditi, qui duplicem hic sibi fingunt Sanctum, sed probabilibus monstramus argumentis unum eundemque, immutato licet aliquantisper nomine, designari. Paucula nobis servavit antiquitas de *Germano*, eremita et Martyre, in Arvernia, incertum quoque vitæ tempus, quod tamen medium sæculum undecimum antecessit; *Anastasius*, monachus et eremita in Gallia, circa an. MLXXXV defunctus, biographum nactus est cœvum, *Galterium*; cui tamen non plane assentimus, quando refert Sanctum missum fuisse in Hispaniam ad prædicandum Sarracenis; probabilior enim nobis est scopus missioni præfixus, abolitio liturgiæ Hispanæ et inductio rituum Romanorum. Exeunte sæculo duodecimo floruit *Ebuli*, in diocesi Salernitana, *Bernerius*, eremita, cujus Vita, centum fere annis post mortem scripta et adhuc anecdota, editur: atque hac occasione Bienerum quemdam, Uxamensem, qui numquam exstitit, e catalogo Sanctorum expunximus. *Galteri*, abbatis Ordinis Cisterciensis et Martyris anno MCCXLIV, Quinciaci sepulti, cultus ostenditur, simulque monstratur eum perperam in catalogum episcoporum Antisiodorensium inferri. In brevem syllogem contracta fuere, quæ in variis documentis occurrebant, circa res gestas, sanctitatem et cultum *Theodorici* Ale-

manni, ex Ordine Carmelitarum, an. MCCCLXXVII D Venetiis defuncti.

EX STATU SÆCULARI.

Qui primi in hac classe occurrunt, Martyres sunt, primis Ecclesiæ sæculis glorioso certamine perfuncti, *Fortunatus*, *Bassianus*, *Saturninus*, cum *Nereo*, *Mireo*, *Aufido* et sociis cclxv, *Leontius* cum sociis *Domitio*, *Terentio* et *Domino*. De *Agileo*, in cujus die natali S. Augustinum sermonem habuisse testatur Possidius, præter breve elogium, ex Hieronymianis Martyrologiis excerptum, nihil superest præter memoriam basilicæ, sub ejus olim invocatione dedicatæ; statuitur quoque *Agileus* a Galeo, sub die xxv Januæ in quibusdam Hieronymianis codicibus annuntiato, distinguendus non esse. Sub Diocletiano passi perhibentur cclxx, *Mauri milites*, quorum corpora Colonia Agrippinæ requiescunt. Vandalis in Galliam irruentibus, circa annum CCCVI martyrium subiisse videtur *Silvanus*: colebatur olim in Agedunensi cœnobio agri Lemovicensis, qua occasione ejusdem monasterii origines discutuntur. *Balderici*, Lingonensis, res gestæ, multis fabulis admixtæ, ex antiquis breviariis in lucem prodeunt. *Salvium*, Antisiodorensis, eundem statum cum Nivernensi, diversum ab Albigenis. *Gaudericus*, qui vixit ante sæculum decimum, fertur coluisse pietatem dictam Angelus, unde nascitur et discutitur quæstio de origine hujus devotionis, simulque inquiritur in varias accessiones factas Angelicæ salutationi, prout reperitur in sacris libris.

EX SEXU FOEMINEO.

Cæcram ex Hieronymianis nobis natam, licet Asiæ deputet Rabanus, ad Africam potius propter unanimum aliorum Martyrologorum auctoritatem pertinere cum sociis cclxx censemus. Tempore probabiliter Juliani Apostatæ passa est *Bolonia*, quæ in agro Bassiniacensi colitur: fertur caput amputatum propriis manibus gestasse, ac ostenditur id genus miraculi frequenter Sanctis in Gallia Martyribus affingi. *Aurelia*, Virgo, cujus Reliquias profanatas S. Columbanus templo restituit, ad quartum quintumve sæculum pertinet, atque ab ejus homonyma Ratisponensi certis notis distinguitur. *Martiniani* et sociorum consors fuit *Macima*, Virgo, quæ liberata a jugo Vandalico, multarum virginum mater postea exstitit. De *Kiara*, Virgine, pleaque nos latuerunt; constare tamen videtur illi deberi originem monasterii Kilchreæ in provincia Momonia, in Hibernia. Ex Britannica insula circa medium sæculum octavum advenit *Thecla*, in conversione Germanicarum gentium S. Bonifacio Moguntino adjutricem manum collatura. Arvernia nobis offert *Bonitam*, Virginem, Brivate cultam, cujus res gestas plerasque delevit oblivio. Sæculum quintum decimum illustravit *Philippa de Campo Limano*, Virgo, in Foresio, provincia Galliæ, nata; potissimam vitæ partem Viennæ, in Delphinatu, transegit: scriptorem Vitæ habuit Anonymum cœvum, cujus lucubratiō MS. edita fuit. Coronidis loco sit *Teresia*, Virgo, Carmelitarum strictioris observantiæ parens, quæ quamplures Vitæ suæ nacta est notæ optimæ scriptores; quos inter elucet, qui non modo *Teresiæ* æqualis, sed et eruditione scriptisque ac religiosarum virtutum laude insignis fuit, Francisus Ribera. Hujus scriptiōnem, hispanice, cum *Teresiæ* rerumque ab ea gestarum recens adhuc esset apud populares memoria, elaboratam, ex versione Mathiæ Martinez (pluribus tamen in locis emendata) edimus, Commentario amplissimo illustratam.

INDEX